



Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

10 Idem quod supra num. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 9 Hinc † immense commendatur in sa-
cris Scripturis Israelitarum Rex Eze-
chias, quòd serpentem æneum, quem
Moyses multis annis ante in populi salu-
tem erexerat num. 21, ex eo quod filii Is-
rael contra Moysen mentem illi incensum
adolerent, destruxerit, 4, Reg. cap. 18.
- 10 Nam quæ primò, † sine culpa esse po-
terant, si post in errorem, & supersti-
tionem vertantur, illicè sunt Apostolica
auctoritate destruenda, & abolenda,
eod. cap. quia sancta, & d. §, verum quia
63. dist.
- 11 Hinc, ad evitanda scandala † plura
etiam contra juris regulas conceduntur,
& fiunt, de quibus nonnulla cumulavit
Felynus in cap. 2, num. 2, de prescript.
- 12 Videmus etiam † pernoctationes, quæ
olim à pījs Christianis in vigilijs dierum
festorum in Ecclesia fieri solebant, de
quibus D. Ambr. relatus in cap. nosse 76.
dist. 1, (ex eo enim vigiliæ dicebantur,
quod fideles in templis in multam no- 16
ctem vigilias producerent) ob eatum
abusum esse modò sublatas, & in je-
nium commutatas.
- 13 Pro bono etiam pacis, & † ad scan-
dalum removendum, sua Episcopus Ec-
clesia, facta tamen illi æquali compensa-
tione, privari potest, Innoc. in cap. nisi,
cūm pridem nu. 4, vers. nos dicimus de re- 17
nunciat. Abb. in cap. 1, num. 5, de elect.
Felyn. in d. cap. 2, nū. 2. vers. decimo prop-
ter scandalum, & ad rem faciunt plura
allegata per Rom. conf. 332, & quoad pri-
mum consultationis num. 12. vers. quoad 18
scandalum, & usque in fin.
- 14 Hac eadem ratione, † cūm in con-
fraternitatibus toto Christiano orbe ere-
ditatione privilegiorum, facultatum,
- & indulgentiarum illis ab Apostolica Se-
de concessarum, nonnulli exorti essent
abusus, pravæque consuetudines indies
ingruerent: tum ob plurium, quām ne-
cessē sit ad animarum salutem, dictorum
sodalitiorum, & confraternitatum ere-
ctionem graves lites, discordiæ, ma-
ximæque interdū orirentur cōroversiæ,
vel inter eas, & animarum parechos,
vel inter ipsos confratres, aut inter ipsas
confraternitates, quæ adeò acerrimè in-
vicem aliquando conflitantur, ut Ordini-
narij locorum non leves curas iniijciant,
eorumque tribunalia indefesse exerceant
quidvis aliud potius, quam pietatem, ad
quam adscriptæ fuerant, sestantes; bo-
tni † pastoris erat scandala, quæ ob hujus-
modi discordijs, & litibus provenire so-
lent, animadvertere, & illis opportuno
occurrere remedio juxt. cap. bi quoscum-
que 1, q 1. & conc. Trid. in decret. de ob-
serv. & evitan. in celebr. miss. siff. 22.
- 15 Propterea † motus fuit Pontifex ad
minuendum tot sodalitatum aggrega-
tiones, & ad statuendum, ut una tantum
confraternitas legitimè erecta cuilibet
Archiconfraternitati, seu congregacioni
aggregandi facultatem habenti in singu-
lis civitatibus, oppidis, vel locis, ag-
gregari posset, & optima ratione, quia,
† præter præfatas causas, pluralitas ejus-
dem nominis inducit obscuritatem l. duo
sunt Titij ff. de testam. tut. l. si fuerit in princ.
ff. de rebus dub. & las. in l. quoties num. 7. ff.
de verb. oblig. Nec una societas pluribus
Archiconfraternitatibus, sed uni † tan- 18
tum potest aggregari, quia non licet amplius,
quām unum collegium licitum
habere, l. 1, §, non licet ff. de colleg. illic.
& l. hac parte ubi etiam gloss. & Bart. C.

Ffff

de

